DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS 26.

DE

INTIMATIONE PER TABELLIONEM PRIVATA

VULGO:

Von Beschickung durch einen NOTARIUM,

QVAM

EX DECRETO ET AUCTORITATE INCLYTÆ FACULTATIS JURIDICÆ,

SUB PRÆSIDIO

VIRI PRÆNOBILISSIMI CONSULTISSIMI ATQVE EXCELLENTISSIMI,

DN. JACOBI CARMON,

JCTI ET ANTECESSORIS LONGE CELEBERRIMI, CONSISTORII DUCALIS CONSILIARII GRAVISSIMI, ITEMQVE PANDECTARUM PROFESSORIS FAMIGERATISSIMI, AMPLISSIMÆ FACULTATIS JURIDICÆ SENIORIS VENERANDI, HODIEQVE DECANI SPECTABILISSIMI,

PATRONI MAXIME COLENDI,

PRO LICENTIA

SUMMUM IN UTROQVE JURE GRADUM CAPESSENDI,

D. 27. SEPTEMB. ANNO MDCCXXIX.

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT,

AUTHOR

CHRISTIANUS LUDOV. TADDEL,

CANCELLARIÆ SVERINENSIS ADVOCATUS ORDINAR.

ROSTOCHII,

Typis IO. IAC. ADLERI, SEREN. PRINC. & ACAD. Typographi.



PRÆFATIO.

§. I.

Diſſertationis occaſio.



Uobus præcipue modis legum ignaros circa privatam per Notarium intimationem excedere videmus: Stupidos quidem, & ingenia ruſtica, dum Tabelliones coeco venerantur obſequio, illorum arbitrio, propriæ ſalutis obliti, ſponte ſubjacent, & eos judices eſſe credunt, ubique juris dicendi facultatem habentes! Hac ratione fieri ſolet, ut adverſarius, aliis forte deſtitutus nocendi mediis, Operam Notariorum adhibeat, quo ipſi, ſimplices multis interrogandi formulis excrucient, & ſi quid exciderit, inſtrumentis ſuis anſam dent, miſeris movendi lites. Interim

terim ſtipites illi ſemper reſpondendum eſſe, falſo putant, & vera quævis effutienda coram Notario, ne forte poenam incurrant Ananiæ mentientis, utut multa deinde pericula, ex propriâ Confeſſione metuenda ſint. Non certe ſuademus illud, quod oſores ſcientiæ legitimæ primam alias juris regulam eſſe dicunt: *Si feciſti nega!* ſed diſuademus etiam, ne quis promiſcue reſpondeat *ipſi, qui jus interrogandi non habet*, utpote quod negligentiæ ſupinæ, animique vilioris teſtimonia præbet.

§. II.

Hoc vero dum vitant alii, ſane in contraria currunt, excandeſcentes ad vocem intimantis notarii, quem lapidibus, baculis, & fuſtibus igne duratis repellere conantur, ubivis facilius patientes quam in hac re. Nullam iſta rabies meretur laudem: Sufficeret enim intacta ſervaſſe jura, & ſi quid præterea, Tabellionem de audaciâ monuiſſe. Interim cum evenire dicta videamus plus ſimplici vice, & vulgus ad nihil magis pronus quam ad ablegationem Notariorum eſſe ſoleat, operæ pretium erit totum intimationis privatæ negotium ad amuſſim legum vocare, ſimulque oſtendere, qua ratione illud prohibitum ſit? & quando jure locum adhuc habeat? Tractationem autem illam in tres dividendam eſſe partes cenſemus, quarum prima, binis verbis agat: de Intimationibus ingenere, ſecunda: de Tabellionibus, tertia: de Intimatione per Tabellionem privatâ.

CAP. I.

CAP. I.
DE
INTIMATIONIBUS IN GENERE.

§. III.

IN ſtatu civili frequentiſſimum apud nos intimationis uſum eſſe, praxis quotidiana docet: Quoties enim ſive Cæſar Imperii ſubditis, ſive Rex poteſtati ſubjectis, aut Princeps in territorio viventibus, aut Conſul in Republica degentibus, aliquid injungit & mandata coram offerri jubet: toties evidens intimationis exemplum habemus. Sub hac autem voce generali comprehendimus *actum quo alter alteri, accedente plerumque miniſterio tertii, quid inſinuat, ut notitiam ejus conſequatur.* Pro diverſitate perſonarum INTIMATIO dividitur IN PUBLICAM ET PRIVATAM, quarum utraque per Notarios expediri ſolet. *Publicam* dicimus quam Superior imperans publice, fieri jubet inferiori; Eamque ſi â Cæſaris authoritate proficiſcatur germanice appellamus: Die Uberantwortung, oder Verkündigung Kayserl. Briefe. *vid. Ord. Maximil. I. Colon. de anno* 1512. §. 69. Suſcepta hæc olim â quovis Notario *d.* §. 69. usque dum renovatâ Ordinatione Camerali *Part.* 1. *Tit.* 39. poſtea conſtitutum, ne fieret ipſa, niſi ab immatriculatis:

Quid ſit intimatio?

Quotuplex?

culatis: Cœterum & reliquorum pariter Collegiorum decreta, judiciorumque Sententiæ dum partibus insinuantur ad publicam intimationem referri debent. Per *Privatam* vero indigitamus negotium, quo privatorum unus alteri per Notarium authoritate propriâ quid insinuari curat.

§. IV.

Effectus.

Diversos *effectus* (ut reliqua taceamus, hoc loco maxime brevitati studentes) intimationes diversæ producunt: Publica velut jure suo postulat reverentiam & obsequium; imo Notarius dum ad fert mandata Cæsaris, aut Principis, aliusve Domini, competentem Jurisdictionem habentis, repelli nequit, *vid.* LEYSER. *JCtum Excellentissimum in Medit. ad ff. Spec.* 269. *n.* 1. Secus ergo si Rex vel Dux cujus imperiò non subjaceo, aut alius quidam Magistratus incompetens mihi mandata insinuari, eaque statim accipi jusserit: hic enim *incongrue jus dicenti impune non paretur. l. fin. ff. de Jurisdictione.* Aliàs, ubi fundata Jurisdictio, non possum afficere Contumeliâ notarium, Judicis nomine ad me venientem, sed ipse hoc modo contemneretur judex. Illo autem effectu reverentiæ & obsequii non gaudet intimatio privata, cum æqualis in æqualem non habeat imperium: & quis ferret insolentiam cujusvis intimantis, aut quo jure, quâque injuriâ, maxime in causa propriâ, quodammodo judicem agentis? Sed de his plura dicendi occasionem dabit ultimum Dissertationis caput: Jam, cum Intimatio-

timationes maxime per notarios expediri soleant, de his agendum erit in capite sequenti.

CAP. II.
DE
TABELLIONIBUS SIVE NOTARIIS.

§. V.

Status notariorum antiquus.

Considerabimus inpræsenti statum notariorum antiquum, qualis hic apud Romanos fuerit, postea dispiciendum erit, quantum mores nostri a temporum illorum consuetudine recedant? Tabularios olim fuisse servos constat *ex l.* 3. *C. de Tabular. lib* 10. *v.* GOTHOFR. *not. ad h. l.* erant enim quos civitas ordinaverat; ut scripturas & rationes tractarent, ideoque dicebantur *servi Civitatis. id. ad l.* 2. *Rem pupilli &c.* imo *servi publici d. l.* 2.; & quamvis etiam liberi homines tabulariam administrare libertate salvâ potuerint *l.* 3. *C. de Serv. Reip. manum.* ab ordinariâ tamen notariorum Conditione munus quoque illorum servile habebatur MüLLER *ad* STRUV. *Exerc.* 28. *lib.* 22. *tit.* 4. §. 29 *β.*, Per Rescriptum Imper. Alexandri ab Officiis municipalibus arcentur, & si artem suam dereliquerint, dignitatem forte ambientes, intra quinquennium revocari possunt *L.* 1. *C. de Tabular.* cujus

dum servi fuerunt.

cujus ratio: ne hoc modo quæſtionem falſi (torturam) cum inſtrumentum illorum arguitur, ſubterfugiant: ſcripturæ veritas enim, dum res popoſcerit, per ipſum debet probari authorem. *l.* 21. *C. ad. L. Cornel. de falſis.*

§. VI.

Et hodiernus, ſimulque Notariorum definitio.

Ab hoc autem veterum Tabulariorum ſtatu hodie Notariorum conditio multum omnino differt: Sunt enim perſonæ publicæ, quibus â Principe data poteſtas, negotia tam judicialia quam extrajudicialia, probationis gratia, & ad perpetuam rei memoriam, ritè conſignandi. Dicuntur alias *Tabelliones, Librarii, Libellenſes, Scrinarii, Memoriales, Exceptores, Pragmatici, Logographi, Secretarii, Actuarii,* & creantur a Cæſare per Comites Palatinos, quamvis etiam Rectoribus Academiarum paſſim, imo & Decanis Facultatum quarundam Juridicarum ab Imperatore conceſſa facultas, illos conſtituendi; Exemplum eſt in Decano Facultatis Juridicæ Roſtochienſis, cui jus illud ab Imperatore Rudolpho II. glorioſiſſimæ memoriæ, anno 1582. die 23. Jul. exſpeciali gratiâ tributum. Eodem vero quo Cæſar in imperio, jure, & Status in territoriis ſuis notarios inaugurare poſſunt, qui adhibeantur in cauſis Civium ſubditorum, & ubi neceſſitas rei poſtulaverit, authoritatem interponant.

§. VII.

Qui hodie ſunt ingenui.

Tabelliones noſtros ingenuos eſſe, nemo forte dubitat, cum Impp. Arcadius & Honorius jam prohibue-

hibuerint: *ne ulli deinceps ad hoc officium patescat aditus, qui sit obnoxius servituti, sed quoties Provinciis, seu Civitatibus illi necessarii fuerint, liberi homines ordinentur l. 3. C. de Tabul.* nec ancipitem aliquem trahere potest, quod in ipsa Constitutione *Imp. Maximil. I.* §. 25. dicatur: Es ist auch ein Notarius oder Tabellio, nachdem er ist ein **Diener gemeines Nutzens** &c. his enim, non servos, quales apud Romanos erant, Imperator innuit, sed officium illorum depingit: quod liberi & ingenui, quibusvis tamen rogantibus operam præstare, illamque nemini facile denegare teneantur; de quo *ʃ. dissert.* 12. nimirum hoc abunde patet, ex ipsius Constitutionis §. *I.* ubi homines proprii, multo magis igitur servi, conceptis verbis â munere notariorum excluduntur & ad subeundum id inhabiles omnino declarantur.

§. VIII.

& in dignitate quâdam constituti.

Fatendum porro, Tabelliones in dignitate quâdam versari, & multum authoritate valere: Constituuntur enim non a privatis, sed ut dictum supra, Cæsarem vel Principem suæ potestatis Authorem habent. Ordin. Maximil. art. 27. ibi: Daß der Notarien keiner sein Ampt anders, denn in die Hände des Obersten Fürsten, von des Gewalt, er solch Ampt empfangen und creiret 2c. *unde munus illorum valde singulare est & pendere dicitur authoritas eorum ab authoritate creantis, qui*

fidem

fidem & industriam personæ in specie approbavit & elegit. MüLLER *ad* STRUV. *Exerc.* 28. *lib.* 22. *Tit.* 4. Dicuntur etiam judices ordinarii, jurisdictionem, non alieno (forte per delegationem,) sed proprio suo jure a lege & Imperatore habentes, *Idem c. l.* β) ut *voluntariæ jurisdictionis actus*, v. g. Adoptiones, & Emancipationes, ex communi Doctorum suffragio, valide coram ipsis expediantur CARPZ. *lib.* 6. *tit.* 2. *Resp.* 18. 20. 21., non item *illi*, qui pertinent *ad jurisdictionem contentiosam*; quia Notariis sententiam ferendi potestatem, & causas decidendi facultatem, nullâ lege tributam videmus, *J. not. ad Ord. Maximil. p.* 2. ubi daß der Notariorum Richter Ampt auff die Decision und Entscheidung der Sache selbst nicht zu ziehen, sondern allein bey der Auffnahm und schrifftl. Verfassung sein Bewenden habe.

§. IX.

Officium illorum

Munus eorum postulat, ut super negotiis ultimisque hominum voluntatibus, ad normam ordinationis Maximil. ac observatis cujusque loci solennitatibus, *Art.* 24. instrumenta fide digna conficiant, perennem rei memoriam conservandi gratia. Prædicatur hoc officium ab Imperatore non tantum utile, sed quoque necessarium. *d. O. verbis*: nachdem nicht allein zu solcher Friedens und Rechts Handhabung, sondern auch andern mehr, so dem heil. Reich und gemeinem Nutzen ange-

angelegen, das Ampt der offenen Notarien nützlich und dienstlich auch noht ist. & nemo illud exercere potest, nisi horum numero ad scriptus: neque Doctor Juris, ut ut alias consumatissimus: quoniam huic ab Imperatore non data facultas, instrumenta publice faciendi, nec juramentum, propter quod Notariis habetur fides, præstitit. Fuit hæc decidendi ratio Scabinorum Lipsiensium qui interrogati: an valeat testamentum super quo, non per Notarium, sed a Doctore datum erat instrumentum? ita responderunt: Weil diese Gewalt instrumenta publica zu verfertigen einen Notario authoritate imperiali sonderlich ertheilet und derselbe darzu verendet, dergleichen Pflicht kein Doctor Juris abzulegen pflegt, so möge auch solcher Auffsatz, als ein Instrumentum Notarii nicht gelten noch zu Recht bestehen. CARPZOV. *lib. 6. tit. 2. Resp. 18. n. 23.*

Quod proprium his & ideo neque Doctor

§. X.

Quid vero dicendum est de Clerico vel Sacerdote, qui forte rogatus ultimam moribundi voluntatem ex ipsius ore perceptam statim litteris exaravit, & scriptum simul testimonium seu instrumentum adjecit, hanc veram testatoris fuisse mentem, insuperque testes adhibitos esse legitime? Præsupponimus in genere talem scripturam, ad substantiam testamenti nuncupativi, de quo sermo nobis est, nihil conferre, illudque sine

Neque Clericus exercere potest.

hac firmum esse, modo septem testes accesserint negotio, & reliqua solennia fuerint observata: Requiritur enim â Maximiliano. *Art. 58. Ordin.* tantum: Daß von einem Testatore, was er im Testament haben wolle, vor 7. Zeugen öffentlich und klärlich benennet und ausgedrückt werde. Verum, quamvis scriptura talis non sit *per se* præcise necessitatis, *ex accidenti* tamen necessaria fieri potest: Nimirum testes ultimam voluntatem, quam moriens linguâ declaravit, post obitum illius juramento probare debent, secundum *receptam interpretationem extensivam legis ultimæ C. de testamentis. vid.* BRUNNEM. *ad h. l. & suffragia Doctorum ibid.* si vero ipsi testes decesserint post testatorem quidem, sed ante datum testimonium, procul dubio deficit probatio ultimæ voluntatis, adeoque hac deficiente, testamentum facile corruit: Et hoc ne fiat, consultum, imo necessarium est a *Notario* scribi voluntatem ejus, qui hæredem nuncupavit, & statim super hâc instrumentum publicam fidem habens confici, quò probatio legibus valida, utut testes diem obierint supremum, & juramentum a nemine præstitum, perpetuo supersit. HOPP. *in Comm. ad d. fin. l. de testamentis, Ord.*

§. XI.

Interspergenda fuerunt hæc, ut ratio talis instrumenti rectius intelligatur: jam ad materiam propositam redeuntes, videbimus quid statuendum

dum ſit de inſtrumento Clerici ? Fingamus non adfuiſſe, imo haberi non potuiſſe Notarium, cum Titius forte in agone jam conſtitutus eſſet,& quæſtio decidenda venit : an inſtrumentum Clerici hoc caſu fidem facere poſſit ? Affirmativam ſententiam tuetur Berlichius, inquiens : non debere quidem Clericos officium Tabellionatus exercere, utpote quod interdicendum ipſis, per beneficiorum ſubtractionem Innocentius III. ſtatuit *cap. Sicut te accepimus. 8.* X. *ne cler. vel Monach.* ſi tamen inſtrumenta fecerint, illa valere putat, *Part. 1. Concluſ. practic.* 43. *n.* 50. authoritate BARTHOLI, JOH. JAC. a CANIBUS, JASONIS aliorumque fretus. Sed penitius rem inſpiciens CARPZOVIUS negativam recte defendit, oſtendens authores ad quos Berlichius provocavit, alienos eſſe ab hâc opiniōne, & præſuppoſuiſſe, Clericos qui ante ſuſceptum hoc officium fuerunt Notarii, horumque inſtrumenta fidem mereri, ipſe cum ratione dicit. *lib.* 6. *tit.* 2. *Reſp.* 18. *n.* 15. ſicut ergo Doctores Juris, hâc facultate non gaudent (quibus tamen eandem falſo tribuit Berlichius) ita nec Sacerdotes noſtri, quamvis alias horum teſtimoniis maxima ſit habenda fides : nec enim iis a Cæſare data poteſtas, nec juramentum fecerunt, unde nequeunt illorum inſtrumenta publice valere.

§. XII.

Officium Notariorum

Notarios quod attinet horum officium *publicum* eſt, ex quo conſequitur nemini hoc denegari

 poſſe,

publicum est indeque nemini denegandum.

posse, *arg. L. 9. ff. de muner. & honor. §. 25. Ordin. Max. verb.* es ist auch ein Notarius schuldig, von den Händeln, darüber er gebethen wird Instrument zu machen, & §. 35. Es mögen auch die Notarien, wie sie des bey Poen in Rechten bestimmet schuldig seyn instrumenta machen, modo negotia super quibus illud postulatur justa, licita, & honesta sint, quod simul adjicitur *d.* §. 25. So fern die Händel sonst auffrichtig, ziemlich und nicht verbohten wären. Non igitur integrum esset Notario, deferre petito Sempronii, qui publico instrumento probari voluerit: se alapas intulisse Mevio, aut Apolloniæ stuprum, Javolenum inter nebulones pessimum, Cajumque pediculosum esse: Facetiis enim his uterque peccaret, imo Sempronius, & Notarius promptus graviorem poenam promeruissent. In causis reliquis obstricti sunt operam præstare, adeo, ut si forte hoc detrectaverint, perjurii poenam incurrant: HOSTIENS: *in summar. tit. de fide instrum.* §. *quibus* MIND. *de Mand. lib.* 2. *c.* 53. *n.* 16. ab officio removeantur, TREUTLER. *Vol.* 2. *Disp.* 5. *th.* 2. & ipsi cui denegatum est instrumentum ad interesse teneantur, *vid. Ordin. Max. art.* demselben, nach, ubi, daß sie Wiederkehrung der Schäden und Interesse denen, so durch sie versäumet, zu thun schuldig.

§. XIII.

Summa Capitis ultimi.

Habes Amice Lector! quid de authoritate Notariorum, & communi officio, quod omnibus præ-

præstare debent, sententiamus. Quæ dicta sunt, maxime sibi locum vindicant, in causis instrumentorum, & quoties movetur qvæstio quanta sit tabellionum facultas in his conficiendis. Postulat autem instituti ratio, ut simul & reliquos notariorum actus contemplemur, ac præcipue inquiramus in authoritatem illorum, dum particularia privatorum negotia suscipiunt gerenda, examinantes: an etiam in his rebus quantumcunque periculum ipsis exinde metuendum forte sit, operam indistincte præstare cogantur. Optime hæc enarrari posse censemus, cum in sequenti capite, primo, negotia, quæ præsertim a privatis committi solent expedienda Notariis, proponamus, secundo: cujusque negotii occasione respiciamus, 1) ad *privatum* per Notarium intimantem, 2) ad *ipsum Tabellionem per quem* 3) ad *personam cui* intimatio facta.

CAP. III.
DE INTIMATIONE PER TABELLIONEM PRIVATA.

§. XIV.

Quid sit Intimatio per Tabellionem privata.

INtimatio privata per Tabellionem est *actus quo privatus homo, seu æqualis, tertio æquali, interveniente*

ente operâ Notarii aliquid insinuat, ut vel in notitiam ejus tantum perveniat, vel vicissim aliquid respondeatur aut præstetur. Ex mente nostra significat *intimare* id quod lingua vernacula verbis: Andeuten oder zu wissen thun, exprimere solemus & negotium hoc privatum dicitur â nobis, atque obveniens inter æquales. Non autem æqualium seu privatorum nomine indigitantur nobiles, cives aut rustici tantum, sed etiam Principes certo respectu.

Quinam dicantur privati?

§. XV.

Principes etiam certâ ratione privatos esse.

Placet conceptus ille duplex, quem TITIUS JCtus celeberrimus, de his præsertim in Imperio nostro formandum putavit, dum Status alia ratione personam publicam ferre, aliâ vero privatam existimat. "*Publica*, inquit, æstimanda est ex "relatione ad Rempublicam; hinc si Imperans "spectetur quatenus imperium consequitur, in "territorio suo imperat, cum reliquis Imperii sta-"tibus deliberat & decernit, Reip. munera gerit, "cum exteris Civitatis suæ nomine agit, Terri-"torio suo, aliis Statibus ac toti Reip. Germani-"cæ connectitur, eatenus *personam publicam* oc-"currere dicendum est. *Persona* vero *privata*, "sive hominis privati, ex actionibus quas Prin-"ceps cum aliis sortis privatæ hominibus habet "communes, judicari debet: quodsi adeo ille ut "Maritus, Pater, Testator, Tutor, Dominus, "Contrahens, Præscribens, aut Præscriptionem

pati-

"patiens, hæres, delinquens, ac in judicio litigans
"consideretur, tunc personam privatam agnosce-
"re par est. *vid. Specim. Juris publ. lib.* 1. *cap.* 1. §.
"46. 47.

§. XVI.

Ne vero sejuncta hæc, a re proposita videantur, addemus exemplum intimationis per Tabellionem privatæ, inter Principes celebratum, quod DN. LEYSERUS, *in medit. ad ff. Specim.* 269. *n.* 4. 5. habet, insuperque collegii Helmstadiensis arbitrium, anno 1716. desideratum fuisse, testatur, Facti speciem ecce! Haben Weyland Herrn Hertzog Friedrich Wilhelm zu Sachsen-Altenburg, Hochfürstl. Durchl. in einen auffgerichteten letzten Willen das Jus primogenituræ unter ihren beyden Herren Söhnen eingeführet, womit aber des jüngern Herren Friedrich Wilhelms Hochfürstl. Durchl. nicht zufrieden gewesen, und so gar am Kayserlichen Hofe Beschwerde geführet, wodurch denn des ältern Herren Johann Philips, Hochfürstl. Durchl. sich bewegen lassen, den sub C. beygelegten Vergleich einzugehen, und nebst dem Herren Bruder, solenniter zu beschweren. Nachdem aber der Herr Primogenitus einige Actus, in den, dem Herren Secundogenito, zur Apanage eingeräumeten Ampte Dorneburg unternimmt, welche dieser letztere, seinen Rechte nachtheilig zu seyn glaubet; So wird gefraget: Ob der Herr Secundogenitus, daran recht, oder unrecht gehandelt, daß er, bey vorhabender

Exemplum intimationis per Tabellionem privatæ, inter Principes celebratum.

bender Einweihung der Hoff-Cantzeley und Cammer zu Dorneburg, von einen Notario, welcher sich mit 2. Zeugen gemeldet, und seinem Vorgeben nach, ein Schreiben von Altenburg überbracht, (jedoch keine Legitimation vorzeigen können) solches Schreiben anzunehmen sich geweigert, und da derselbe, durch sein ungestühmes Anhalten, und Placirung an der Treppe, seine Durchl. an Vollführung, des gewesenen Actus gehindert, ihm hinunter in die Ampts-Stube bringen, und daselbst, in aller Höfflichkeit bis zu Ende der solennité auffhalten, nachgehends aber freundlich dimittiren lassen?

§. XVII.

Mittitur autem Notarius I. ut alterum interroget.

Sed ipsa tandem negotia considerabimus ad quæ rite peragenda, Notarius requiri solet, iisque allegatis, postmodum jus nostrum applicabimus. Mittitur a privatis Tabellio I. INTERROGANDI GRATIA: Daß er einen zu Rede stelle. Si quis audiverit forte, Titium verbis injuriosis famam ipsius lacerasse, neminem vero testem habeat, qui vel præsens fuerit, vel alias certum in re testimonium dare possit; Tunc adhibetur Notarius, ut ex tertio qværat, an talia dixerit nec ne? ubi post insecutam confessionem, instrumentum insuper conficere plerumque rogatur, ut, maxime, si testes adjuncti fuerint, probationem actor firmam habeat, cum confessio sit optima probatio. *arg. L. un. C. de confessis.* Verum quid si nobis objiceretur, in hoc negotio, *interrogationem* adesse, non intimationem

nem

nem seu declarationem, indeque male ad præsentem illud materiam quadrare? Sed salva res est! Notarius enim per quem fit actus interrogationis, Intimat tamen alteri, seu declarat quod Titius scire cupiat, eumque interrogandi gratia miserit.

Interrogatio refertur ad intimationem.

§. XVIII.

Modum autem proponimus, experientia teste receptum moribus, quamvis utique promtiora dentur remedia. Satius enim est, adire judicem & adversario juramentum in judicio detulisse, cum facile fieri possit alias, ut non solum finis quæstionis non obtineatur, sed adeo lis ex lite crescat, utpote, si tertius interrogationem ægre ferens, vel respondere noluerit, vel loco responsionis, convitia dederit, præsertim cum ignominiosum habeatur opinione vulgi, rationem dicti vel facti ad nutum reddere cuique postulanti. Quod concernit in hoc negotio personam intimantis per tabellionem seu Notarium mittentis, eam in re licita versari dubium non est: Interrogationes enim privatæ, quæ delictum non involvunt nullo jure vetantur. MOLLENBEC. *ad lit. de interrog. in jure faciendis n.*1. unde proverbio dicimus: Fragen ist frey! Aliud ergo statuendum est, si motus iracundiæ calore quis Notario jusserit, ut tertium interrogaret; Ob er nicht solches wie ein Bärenhäuter geredet? Verum quamvis interrogationem, per se indifferentem leges non prohibeant, persona tamen interrogans,

Ratio dicendorum.

Persona Tabellionem mittens.

gans, reſponſionem alterius exigere perfecto jure nequit, *ſed ad hoc, obligatione opus eſt quæ provenit, vel ex peculiari pacto vel ex communi præcepto legis naturalis, vel denique ex præſentis negotii natura, cui contrahendo ſermo adhibetur* PUFENDORF *de jure nat. & Gent. Lib. IV. Cap. I.* quorum nihil in præſenti negotio doceri poteſt. Quo pacto enim tertio temere interroganti me reſponſurum eſſe promiſi? Quo præcepto legis naturalis teneor, ex domo propria per confeſſionem hoſtibus arma ſuppeditare? quid operatur natura negotii quod contrahi nolo?

§. XIX.

Tabellio per quem interrogatio fit, an ad hoc poſſit compelli?

Imo invitus nec ipſe *Notarius* ad interrogandum promiſcue compelli poteſt. Habetur quidem *in Ordin. Max.* ceu dictum §. 8. *diſſ. cap.2.* quod promptus ad exhibendum, cuivis officium eſſe debeat, & ſimul additur §. 24. *conſtit. ord.* inſerendum protocollis: quod ipſi viderint & audiverint, was Sie mit eigenem Geſicht und Gehör empfangen haben, *atque* §. 8. ne ad relationem aliorum utut fide digniſſimorum inſtrumenta forment, ſed tantum ſuper his quæ coram ipſis geſta, was vor ihm und den Zeugen gehandelt, und er mit ſeinen leiblichen Sinnen vermercket, ex quo negotium hoc ab ipſo Tabellione videtur expediendum, cum alius de viſu & auditu, teſtari nequeat: Sed certe non eſt. Primo enim quoad officium præſtandum omnibus, provocamus *ad. d.* §. 24. *Ordinationis* ubi totum officium

cium Notariorum: Die gantze Subſtantz und Krafft ihrer Aempter exprimitur, ſed *per elaborationem inſtrumentorum*, ad quam ſane parati debent eſſe in quovis loco Notarii. Non autem in reliquis negotiis privatorum obſequium illis injungitur abſolutum. Secundo, certum quidem eſt debere Tabellionem, vel oculis propriis vidiſſe rem, vel eam auribus ſuis percepiſſe, cum inſtrumenta ſuper ipſo quodam negotio, vel actu deſiderentur; ſed exinde ſequitur tantum Notarii præſentiam hic eſſe neceſſariam, ut poſtea protocollo quæ geſta ſunt inſerere poſſit, non vero hunc obſtrictum eſſe, ut interroget ipſe Daß ER einen zu Rede ſtelle: imprudentius enim hoc aliquando fieri, & ſatis cum periculo poſſet. Interim ſi ſponte voluerit Notarius, amore lucri captus, hoc officium in ſe recipere, & alicujus nomine dicti vel facti rationem â tertio poſtulare, licebit quidem; Aſt, hoc in caſu jura quoque tertii conſideranda veniunt: An ille reſpondere teneatur?

§. XX.

Perſona interrogata, num reſpondere teneatur?

Per ſimqlicem interrogationem nemini fit injuria: ſufficit, quod relictum ſit alterius arbitrio, an reſpondere velit, nec ne? Si ſponte voluerit, quid tum? Si vero noluerit, certe compelli nequit, ſive regulas juris naturæ conſideres, ſive placita legum Civilium ſpectes. Jus naturæ ſemper reſpondendi neceſſitatem non injungit, *& manifeſtum eſt, me non teneri omnia quibusvis indicare, quæ ipſe in animo volvo, ſed illa duntaxat, ad*

 quæ

quæ intelligenda, jus plenum habent alii; adeoque recte ea tacendo dissimulari posse, quæ ut ex me sciat, alter, jus non habet, neque ad id aliqua obligatione teneor. PUFENDORFF. *c. l.* §. 7. Jure civili autem, *nemo cogitur ante judicium de suo jure aliquid respondere L. 1. §. 1. ff. de interrog. & privatorum non est sed judicis, interrogationem facere, ubicunque moverit ipsum æquitas L. 21. ff. eodem* ita facultatem qua ipsi destituti sunt, Tabellioni dare nequeunt: *cum nemo plus juris possit in alium transferre quam ipse habet L. 54. ff. de R. J.* His igitur fundamenti loco positis, facile colligi potest: an aliqua sit Notariorum, privati cujusdam nomine interrogantium authoritas? Finge Sacerdotem Dominicâ die, concionem habuisse, & peccata, quæ in coetu frequentiora novit, ut par est reprehendisse, auditorum aliquem vero putasse, hæc animo injuriandi prolata, ideoque post sacra finita misisse notarium, interrogandi gratia: an ipsum his verbis afficere contumelia fuerit animus? Certe, quamvis *Clericus* (ut verbis utamur JCti summi, SCHOEPFFERI Beati) *cum sine admonitione privatâ personam publice in cathedra, vel nominet, vel ita perstringat, ut omnes intelligant de quo sentiat, injuriarum teneatur, per Recess. Imperii de Anno 1530. §.* Wir haben 55. *vers.* die Prediger sollen *& Rec. Imp. de Anno* 1542. §. 41. *vid. Synopsin ad lib. 47. Tit. 10. ff. n.* 13 in præsenti casu tamen nullam postulare necessitatem statuimus ut-

De intimatione Clerico facta: von Beschickung eines Predigers.

ut privato interroganti congrue respondeat verbi divini Minister, sed recte dimitteret ipsum Tabellionem consuetâ formulâ: Der Herr beliebe nur zu sagen, er habe keinen Bescheid gekriegt.

§. XXI.

Mittitur Notarius II. Interpellandi gratia.

Altera intimationis per Tabellionem privatæ species est, quando mittitur Notarius II. INTERPELLANDI CAUSA. Vocabulum *interpellationis* sumitur alias pro imploratione, quoties judex interpellari dicitur, interdum pro interruptionis actu, ut in materiâ præscriptionis & possessionis, hic vero denotat: ab aliquo postulare seu illi denunciare v. g. si debitorem in mora constitutum crebriori admonitione compellimus ad maturandam solutionem. Hoc sensu quisque potest interpellare qui nomina habet activa seu cui aliquid jure debetur, ut locator conductorem ad mercedem consequendam, creditor debitorem suum ad reluendum pignus, venditor emtorem ad solvendum pretium. Imo toties hæc interpellatio, si quis voluerit, in tædium morosi debitoris reiterari potest, quoties creditori placuerit ipsi, *qui enim suo jure utitur nemini facit injuriam*, *L.* 13. §. *I. ff. de Injur.* & *incommodum quod alter sua culpa sentit, sentire non videtur L.* 203. *ff. de R. J.* Cavere tamen sibi oportet interpellantem, ne termino solutionis nondum elapso, maxime si hic in favorem debitoris adjectus, solutionem urgeat. *Pacta namque dant legem contractui L.* 23. *ff. de*

Persona interpellans.

ff. de R. J. nisi forte *α*) metuendum sit debitorem fuga salutem quæsiturum esse, ubi recte fit interpellatio per Notarium, ante terminum solutioni præfixum, ut si pecunia non sit parata vel carcere, vel satisdatione, creditoris consulatur rebus. *β*) Si pecuniam mutuo dederit, ut certo tempore solverentur usuræ, debitor autem, hoc facere neglexerit, quia tunc, ad restituendam sortem cum usuris, ante præstitutum alias obligationi diem, jure tenetur. STRYK. *U. M. ad lib. 46. tit. 3. ff.* §. *13.* & cum ipso. NEGUSANT: *de pignor. p. 4. n.* 15. HERING *de fidejussoribus Cap. 10.* 73. SCHULTZ *de oblat. & obsignat. Cap. 4. n. 25.* & FREYER *de solut. Cap. 5. n. 16.*

§. XXII.

Notarius per quem fit interpellatio.

Ratione Tabellionis nomine alterius intimantis, idem statuendum erit, quod de interrogante §. 19. diximus nam interesse quidem negotio tenetur sed non præcise qua persona princeps seu ipsum interpellationis actum expediens. Cum enim multi reperiuntur homines, quibus in adversis præcipue rebus, frequentius est verbera quam verba dare, nullam video necessitatem, cur huic exponere se malo teneatur, ubi fortasse timendum est; Verum si probitatem interpellandi noverit, & *hoc ipso*, mercedem promissam mereri potest. Si debitor in mora constituendus, hoc agi potest per Notarii, æque ac per ipsius creditoris interpellationem, *mora namque videtur creditori*

ditori fieri, five ipſi, five ei cui mandaverat, aut qui negotia ejus gerebat, facta ſit L. 24. ff. de Uſuris. Sciendum quoque Notariis, perſonas eſſe quibus non rigoroſe, ſed cum reverentia & modeſtia ſpeciali facienda eſt interpellatio, quæ tamen plenam itidem vim, & effectum ſolitum habet; Referuntur huc Prælati, Patroni, Soceri, & reliqui Parentes, vid WERNHER. *de mor. th. 43.* MENOCH. *de arbitr. jud. Quæſt. c. 461. n. 4.* MüLLER *ad* STRUV. *Exerc. 27. lib. 22. tit. 1. Theſ. 67.* 9) adeoque cavendum ſedulo, ne commiſſi limites excedant officii, & ſic ad rationes malorum per culpam ipſorum evenientium, reddendas poſtea teneantur.

§. XXIII.

Perſona interpellanda.

Intueamur etiam *perſonam interpellatam*, ubi tres veniunt ſeparandi caſus, in quorum *primo*, locum interpellationi dare, nemo tenetur, *in ſecundo* ſtringitur per ipſam interpellationem, *in tertio* verſatur utilitas ejus in hoc, ut fiat interpellatio. Primus facile colligitur, & eſt, ſi Tabellio mittitur, ſolutionem ab eo poſtulandi gratia qui nihil debet. Refertur inter injurias ſi quis non debitorem, quaſi, debitorem appellaverit *L. 15. §. 33. ff. de Injur.* quo jure igitur admittenda foret interpellatio ſi nullo quis obligationis vinculo tenetur? integrum erit hanc alto ſupercilio contemnere, & ejus nomine rationem ex adverſario quærere; ſed alia dicenda ſunt, in proxime ſequenti caſu. Fingamus creditorem mutuum al-

teri dedisse, nec certum reddendi tempus determinasse, nec pacto, resignationem prævians, die Loßkündigung promisisse: hanc sane per interpellationem debitor in mora constituitur, *L. 32. ff. de usur*, & ex hac ad usuras & interesse postea tenetur, MüLLER ad STRUV. *Ex.* 27. §. 67. Ultimo tandem interest ipsius debitoris, modo dictam interpellationem fieri, cujus exemplum in Lege Commissoria, quando conventum inter partes ut pretio non soluto res sit inempta. Dubium videri posset an illa referenda sit ad propositam materiam, cum in L. Comm. regulariter interpellatio hominis superflua, quoniam ad expressum terminum initur, ceu patet ex verbis: *pretio intra certum tempus non soluto*, quæ alias definitioni hujus communiter adjici solent: Quia vero certum tempus exprimitur, dies jam pro homine interpellare dicitur. *l.* 12. *C. de Stip. contrab.* Verum enim vero, quid si nulla temporis facta mentio? de quo STRYK. *U. M. lib.* 18. *Tit.* 3. §. *VI. si tempus nullum adjectum sit, quod utique fieri potest: arg. L.* 3. *ff. de contrab. Emt. L.* 41. *ff. de R. V. B. Dn. a* JENA *de lege commissoria* §. 55. *tunc interpellatione expressa opus erit Zoes. ad ff. h. t. n.* 7. BRUNNEM. *ad L.* 4. *de lege Comm. n.* 4. *nam antea mora non contrabitur L.* 23. *ff. de V. O.*

XXIV.

Notarius ablegatur III. protestandi causa.

Progredimur ad alium intimationis privatæ modum, quo III. pertinent FREQUENTES PER NOTARIUM IN VITA COMMUNI PRO-

PROTESTATIONES. Eſt vero *proteſtatio animi noſtri declaratio, vel juris conſervandi vel damni depellendi gratia facta.* SCACC. *de Judic. lib.1. Cap.* 30. *n.* 34. BERTAZOL. *tract. Clauſ. inſtr.* 6. *gloſſ.* 1. & requiritur in perſona proteſtante, ſeu quæ notarium ablegavit, *ut proteſtandi jus habeat:* Quod dicendum eſt, quoties res ex ipſius arbitrio pendet. BRUNNEM. *ad l.* 13. *ſi major. ff. de reſcind. vend.* cum ergo injunctum alicui a judice ſit conteſtari litem, hic vero reſpondeat actoris intentioni, per facti enarrationem, cum proteſtatione ſolenni, hoc non animo factum conteſtandi litem, id ipſum nihil proderit, cum in ejus voluntate non ſit an morem gerere decreto judicis voluerit, nec ne? ideoque proteſtandi jus non habet, MASCARD. *Concluſ.* 434. *n.* 20. *ſequ.* GAIL. *Obſer.* 73. *n.* 5. item proteſtatio debitoris, qui paratam non habet pecuniam, & tamen creditorem pignora jure diſtrahentem, ſimul & pignoris emtorem impedire voluit, nullo penitus effectu gaudet, ex lege Imp. Gordiani: Hoc formulâ reſcribentis; *Debitoris denunciatio, qui creditori ſuo, ne ſibi rem pignori obligatam diſtrahat, vel his, qui ab eo volunt comparare denunciat, ita demum efficax eſt, ſi univerſum tam ſortis quam uſurarum offerat debitum creditori, eoque non accipiente, idonea fide probationis (ita ut oportet) depoſitum oſtendat, nam ſi vel modicum de ſorte vel uſuris in debito perſeveret, diſtractio rei obligatæ non poteſt impediri:*

pediri: neque ea ratione emtor, tametsi sciat, interpositam a debitore, creditori denunciationem, malæ fidei sit possessor l. 2. C. Debitor. Vendit. pign. Cur? quia denunciandi seu protestandi jus non habuit alter.

§. XXV.

Notarius protestationem insinuans.

Tabellio cui protestationis actus forte commissus, illum in se recipere & cum modestia gerere, nullibi prohibetur, imo prudenter illius opera desideratur, in hoc negotio quo, præsertim si testes accesserint, postea factam protestationem, documento firmiter probare possit. Reservantur autem jura mittentis hoc modo, cum quod per alium facit ipse fecisse putandus sit; Sed quæstio superest: an Notarius in hoc aliisque negotiis adhibitus postulare mercedem queat, si forte res minus prospere successerit? Fingas Tabularium ex voluntate mittentis interrogantem male, pejus audivisse, ac pluribus maledicendi formulis onustum, rediisse domum, vel in negotio interpellationis responsum hoc tulisse: nec posse, nec velle Titium solvere; aut in actu denunciationis, protestatione contraria dimissum esse: Quoad causarum patronos & advocatos, expedita res est: sicut enim medico eventus mortalitatis imputari nequit, *L. 6. §. 7. de Offic. præs.* ita & his debetur honorarium, utut in causa succubuerint, *arg. L. 10. §. 1. ff. de Negot. gest.* cum dubius sit litis eventus. LAUTERBACH. *in Colleg. Theoret. Pract.* §. 25. de

25. *de Postul.* Verum eadem asserere de Tabellionibus nulli dubitamus, cum in ipsorum quoque negotiis exitus plerumque dubius, & casu fieri dicendum est, si adversum quid acciderit; jam vero nota Regula Juris: quod casum nemo præstare teneatur. Imo si conventionem inter personam ablegantem, ipsumque Notarium ut par est, expendamus, hic certe promittit, non felicem eventum esse futurum, *sed se præstiturum operas*, pro consequenda mercede, quodsi ad normam alterius præscriptam egerit, obligationi, ex parte quidem sua, maxime satisfecit, indeque salarium plene jure postulabit.

§. XXVI.

Persona cui fit protestatio per Tabellionem.

Consideranda venit etiam persona cui protestatio facta, hæc autem, maxime si protestationi jure locus, illam tenetur æquo animo ferre, nec licebit audito Notario, salsis & asperis facetiis pungere protestantem, cum ille, competentia sibi reservans, & vel in hoc jure suo decenter utens, ipsi non faciat injuriam, secundum allegatam supra *legem* 13. §. 1. *ff. de Injur.* quoties vero protestandi jus non habet, inanem ipsius curam ostendere potest coram Tabellione, eamque verbis exprimere. Porro quo fiat protestatio rite, notandum, præsentiam alterius personæ requiri, cui denunciatur, adeo ut alias actus nullius sit momenti. BRUNNEM. *ad L. 7. si repetendi. C. de Condict. ob causam datorum*; Sed loquimur de casu, cum pro-

 testa-

teſtatio *palam* fieri debet, alias namque *altero vel abſente*, quandoque denunciatio fieri poteſt, quod negotium *proteſtationis ſecretæ* nomine venit Confer. Diſſertatio Inauguralis elegantiſſima, quam de hac materia DN. VERMEHREN *nunc Juris utriusque Doctor celeberrimus, & judicii Meclenburgenſis Aulici Procurator Ordinarius, Avunculus honoratiſſimus*, olim habuit Roſtochii, Præſide B. DN. STEIN, JCto nemini ſecundo.

§. XXVII.

Committitur III. Notario ut injuriam inferri curet.

Enarravimus hucusque cauſas in quibus, omnibus eſt intimandi jus. Nova jam exponenda ſequitur intimationis privatæ ſpecies, de qua dicentur longe diverſa ſc: dum IV. ablegatur Notarius, UT INJURIAM ALICUJUS NOMINE TERTIO INFERAT; Hæc autem appellatur contumelia *l. 1. pr. ff. de injur.* multisque modis fieri ſolet. Ut clarior mens noſtra ſit, facti ſpeciem dabimus, poſtea rationem perſonarum ad negotium hoc concurrentium habebimur. Emtor a venditore ſoluto pretio, domum ſibi comparaverat, addita lege, ne habeatur in nominibus, aut in illa competat alicui jus hypothecæ. Poſt conſumatum vero contractum, unus & item alter acceſſit creditorum, rogans ſolutionem, *ut par eſt* a poſſeſſore domus, quam ſibi jure pignoris obligatam probat. His præter expectationem evenientibus, atra bile percitus emtor, Tabellionem accerſi jubet, eique mandat, ſtatim adire venditorem, & huic ipſius

ipsius verbis declarare, illum in hoc negotio cum emtore, non ut viro convenit honesto, sed more nebulonum egisse. Er habe bey ihm wie ein Schelm gehandelt: Notarius, lucri bonum ex re qualibet odorem putans, æque promtus, in expediendo negotio, quam in committendo fuit alter, & ædes venditoris strenue pulsare conatur, a quo comperta re, mox verberibus afficitur, adeo ut non habeat nova plaga locum! Quod concernit in fabula, personam intimantem vel solum injuriæ nomen sufficit ad demonstrandum, versari hanc in re, quovis jure prohibita, nec sufficit, quod Læsum in contractu se putet, cum judex adeundus. *Extat enim decretum Divi Marci in hæc verba, optimum est, ut si quas putes te habere petitiones, actionibus experiaris. L. 13. ff. quod metus causa*, neque licebit per vindictam privatam in causa propria judicem agere, *cum idcirco Judiciorum vigor, jurisque publici tutela videatur in medio constituta, ne quisquam sibi ipsi permittere valeat ultionem L. 14. C. de judæis & cælicol.* imo poenæ sunt statutæ legibus, *si quis in tantam furoris pervenerit audaciam*, ut jus suum *ante adventum judicialis arbitrii* sit persecutus, authoritate privata *L. 7. C. unde vi.* Multo minus illum excusare potest, quod non ipse, sed Notaririus injuriam fecerit, quoniam *non solum is tenetur qui fecit, verum & ille, qui dolo fieri curavit, qualis hic mandans L. 11. pr. ff. de injur.* imo quid clarius ipsis rescripti verbis? *si mandato meo alicui facta sit*

Persona injuriam inferens.

injuria, tam me, qui mandavi, quam eum qui suscepit, injuriarum teneri §.3. *d. L.* sed ordine jam ducimur ad personam suscipientem.

§. XXVIII.

Tabellio per quem infertur.

Interdictum esse Notariis *Ordinatione Maximil. I.* §. 25. ne rebus immisceant se prohibitis, aut ipsorum officio non congruentibus, supra jam expositum, unde facile potest inferri, num liceat Tabellionibus in præsenti negotio, meram injuriam, merumque delictum continente, versari? Operam certe jubentur exhibere, quoties occurrit actus indifferens aut lege permissus, sed inservientes, ut inter alios verba commutentur injuriosa, poenam judicis ex arbitrio dabunt, & illi, qui contumeliam passus, maxime tenentur: Nam *recte Proculus ait, si in hoc te conduxerim, ut injuriam facias, cum utroque nostrum injuriarum agi posse L.* 11. §. 4. *ff. de injur.* referuntur tamen hæc ad jura tertii: Quid vero dicendum de conventione inter ablegantem & Notarium inita? Quæritur: num promissam Tabellio mercedem a principali mittente hoc in casu postulare queat? Et respondemus, si causa foret legibus approbata, rem dubio vacare, cum ex parte sua contractum impleverit; jam vero cum adest utriusque turpitudo, Notarium dicimus pecuniam, *nondum solutam,* exigere non posse, *acceptam* autem retinere, *cum in pari turpitudine melior est ratio possidentis, vid. L.* 8. *ff. de condit. ob turp. vel injust. causam.*

§. XXIX.

§. XXIX.

Personæ cui fit.

Ille cui intimatio facta non cogitur huic acquiescere, vel ejus nomine gratiam referre: Quoad emptorem enim intimantem, dictum, hunc injuriam commisisse, quam ferre nemo cogitur; Quoad Tabellionem vero certum est, quod in his similibusque rebus & quoties excedit officii limites authoritatem plane nullam habeat. Judex quidem esse dicitur *cap.* 2. §. 4. sed inter volentes; quid quod ipse judex fines egrediens, injuriarum teneatur, ceu colligunt ex *L.* 32. *de injur.* Cœterum tamen ad facti speciem quod attinet, venditor in casu præsenti non habuit jus dicto procedendi modo. Largimur intimantem peccasse, concedimus errasse Tabellionem, sed ex eo novus idemque gravior venditoris excessus defendi nequit: Læsus in contractu judicem implorare debet *emtor*, quidni & Læsus per injuriam *venditor*? *cum in re propria judicem agere nemini liceat* secundum allegata §. *dissert.* 27.

§. XXX.

Notarius V. mittitur in causa retorsionis.

Tandem Vto Notarius ablegatur IN CAUSA RETORSIONIS: quæ est *injuriæ, nobis illatæ in alterum, incontinenti facta rejectio.* SCHOEPFF. *in Synops. ad Tit. de injur. n.* 72. requiri tamen a retorquente solet, ne graviorem illatâ sibi, faciat injuriam, cum excessus alias pro nova contumelia reputetur. GAIL. 2 *Observ.* 100. *n.* 9. Persona intimans sive retorquens, hunc in finem licite

E Nota-

Notarium mittere poteſt : *Moribus enim retorſio tanquam remedium eſt introductum quo extra judicialiter , vindicari poſſint injuriæ* STRYK. *U.M.* §. 38. *tit. de injuriis*. v. g. ſi quis inſulſus homo vocatus, alium nebulonem & aſinum dixerit, ubi retorſionis exceſſum nemo non videt. Verum quod in continenti fiat reſponſio , moribus non ſervari putat STRYKIUS prælaudatus, ſed eam ex intervallo per Notarium & teſtes plerumque dari teſtatur. *d. l.*

§. XXXI.

Notarius cujus Opera ſit retorſio.

Negotium hoc recte ſucipitur a Tabellione, cum inter prohibita,& injuſta computari nequeat. Hic enim par pari referre licet. Non tamen poterit Notarius inſervire illi, cui facta retorſio, ut ejus nomine viciſſim retorqueat , MüLLER. t *ad* STRUV. *tit. de injur. Exerc.* 62. namque re orſionis retorſio involvit novam injuriam HOPP. *in Comment. ad tit. de injur. in fine*, quam promovere Tabularius non debet , *vid.* §. *diſp.* 8. Alias vero cum legitime fit retorſio, mercedem pleno jure poſtulat promeritam. Suadendum vero Notariis, ut multa cum prudentia ſeu circumſpectione verſentur in hac re ; Docuit enim experientia ſæpe Notarium retorſionem alterius nomine inſinuantem receſſiſſe pugnis oneratum ; Ideoque conſultum erit, exemplum anonymi Tabellionis imitari, cujus inſtrumentum retorſionis hanc formulam finalem habet: Nachdem dieses geschehen (*de facta retorſionis inſinuatione loquitur*) iſt mehrgedachter

ter Philipp Stuhlmann (*cui in Opificum Collegio retorsio facta*,) mit gar unbescheidenen Gebährden auffgestanden und auff mich zugetreten, unter den sämptlichen Meistern, aber ein ziemlich unordentliches Reden und Getümmel entstanden, welchen ich aber (Cautelam ecce!) nicht zuhören noch mich weiter mit ihm einlassen wollen, sondern bin, nebst denen bey mir habenden Zeugen, so geschwind ich vermöcht, zur Thür hinaus gegangen, *vid. Not. ad Ord. Maximil. pag.* 275.

§. XXXII.

Persona cui fit retorsio.

Persona cui fit hæc intimatio retorsionis, per illatam prius injuriam, ipsa dedit occasionem, hinc in malam partem rapere nequit, alterum existimationis conservandæ gratia, hoc usum esse remedio: nec verberibus aut ignominia poterit afficere Notarium qui accessit huic negotio, lege permittente. Verum circa retorsionem casus tres separandi sunt. Primo namque contingere solet interdum, ut fiat illa sub conditione e. g. si adversarius talia locutus, est nequam; & distinguimus an illa vere dixerit nec ne, in priori locum habet retorsio, non autem in posteriori, ad exemplum injuriarum actionis, *vid.* LAUTERB. *colleg. theor. pract. tit. de injur.* §. 15. *secundo* fit absque injuria prævia quandoque retorsio: *ut si quis sub prætextu retorsionis falso dixerit verbalem me ipsi injuriam imposuisse, & propterea retorquendo mendacium mihi innocenti objecerit, quo casu contraria re-*

 torsione

torsione contra hanc injustam, mihi irrogatam, me licite defendere, & dicere vel scribere possum quod prior retorquens mentitus fuerit. vid. Richter *Decis.* 92. *n.* 20. *Tertio* datur retorsio legitima & omnibus numeris absoluta, quam quidem persona cui facta, perferre tenetur, per hanc tamen ab injuriarum actione liberatur. *Qui enim ipse sibi jus dixit, judicis officium implorare nequit.* SCHOEPFF. *in Synops. tit. de injur. n.* 75.

§. XXXIII.

Sufficiant hæc de intimatione per Tabellionem privatâ, quam tamen rem, utut frequentissima sit, neminem hactenus opera speciali proposuisse memini. Interim susceptum in præsenti dissertatione laborem non credo futurum inutilem: *cum jura præcipua Notarium ablegantis, ipsius Tabellionis, & personæ cui intimatio facta, narraverim,* ex quo facile patebit in hoc negotio, quid jure permittente liceat? quid lege prohibente fiat? Tandem ut bellum indicam Momis Zoilisque, causam video nullam: Non curare vulgi sibilos, stultorumque nænias spernere didici! Oderit me, AMICE LECTOR! malignorum unus & item alter, dum honestis modo placeam viris, & inter hos maximè
TIBI.

FINIS.

PRÆNOBILISSIMO & CONSULTISSIMO,

DN. DOCTORANDO,

FAUTORI ET CONSALINO ÆSTUMATISSIMO

S. P. D.

PRÆSES.

QVod TIBI, FAUTOR OPTIME, de egregiâ Studiorum Tuorum messe, edito in super Dissertationis inauguralis eleganter conceptæ, singulari Specimine, gratulandi occasio mihi suboriatur, gaudio sané afficior non mediocri; præsertim ubi priorum annorum commorationis Tuæ, in levi mea manuductione, recordor, & ita recordor, ut generosa Tua indoles ad virtutis & eruditionis gloriam incitata ob oculos mihi versetur, mirerque inusitatam Tuam industriam, quibus alios longissime superare solebas. Nec enim immaturus accessisti ad Exteros,

ros,

ros; unde fieri aliter non potuit, quin Summorum SAXONIÆ Doctorum, quos ulteriori Tuæ diligentiæ duces elegeras, moderamine, ad invidiam profeceris. Nefas quoque esset, hîc præterire rectos & compositos Tuos Mores Modestiæque Studium, quibus omnibus Te commendas. Verum in singulas Tuas laudes excurrere, angustia pagellæ non permittit; Unicum tantum addens, quod pugnaturus pro LAUREA DOCTORALI consequenda, secuturos ilico Honores nunc demum non promerearis, sed Præstantiæ Tuæ diu jam obtentos, pleno nunc jure vindices. Ito bonis Avibus, & immortalitatem Meritorum, ad exemplum Magnorum Tuorum PARENTUM Tibi conciliaturus, Virtutis Tuæ rationes ad Laudem Divinam promovendam & Rempublicam tractandam felicissime refer. Bene Vale! Scr. festinante calamo d. 21. Sept. MDCCXXIX.

